



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

545. Termino illo octo dierum pendente an & qualiter Capitulum
administret, & exerceat jurisdictionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

p. 3. *trac. 4. resol. 55. Barbof. loc. cit. n. 32. Ventrig. loc. cit. n. 3.* ubi etiam, quod hæc scientia debeat esse certa, & non sufficiat præsumpta. Hinc si translatio Episcopi facta sub consensu illius, mox, ut is innotuit capitulo, etiam ante captam possessionem novi Episcopatus Capitulum potest eligere Vicarium. eò ipso enim, ut decidit S. Congregatio 14. Decemb. 1624. amisit translatus jura primi Episcopatus, à cujus vinculo fuit absolutus. Tondut. 99. *benef. p. 2. c. 4. §. 6. n. 13. & 14.* si autem potuit ab illo momento innotescens sibi consensus eligere Vicarium, incipit illi currere ab eodem momento terminus ille octo dierum. De cetero præscindendo ab illo consensu, currit hic terminus à Die, quo innouit Capitulo, Episcopum fuisse per Papam in Consistorio absolutum à vinculo prioris ecclesiæ, etiam captâ necdum possessione. quin & literis necdum expeditis. Dian. *loc. cit. Barbof. n. 32. Ventrigl. n. 3.* citans eundem Barbof. *de canon. & dignit. c. u. t. n. 32. Quarant. in sum. Bullar. v. Capit. sed. vac. Meroll. tom. 3. d. 7. c. 7. dub. 26. n. 186.* ab eo enim tempore vacat prior Episcopatus, adeoque postquam hujusmodi absolutiois notitiam habuerit Episcopus translatus; etiam ex testimonio seu documento secretarii solum sacri collegii illico tenetur abstinere ab exercitio ordinariæ jurisdictionis, eaque transit in Caputulum, idque statim eâ uti potest, & debet, sedemque vacantem publicare, Barbof. Dian. *l. cit. ex Masfobr. in pr. habendi concurs. requisit. 1. dub. 9. secundum rom. editio-nem.*

2. Resp. secundò: Sicut tamen potest Capitulum terminum illum octo dierum restringere & abbreviare. Pax Jord. *l. 12. tit. 2. n. 6. Ventrigl. loc. cit. n. 2.* citans *ecclesia vestra. de electione & ibi Abb. notab. 1. Quarant. loc. cit. n. 2. contra Meroll. loc. cit. n. 260.* modò tamen non in fraudem absentium Capitularium abbreviet illum terminum. Pax Jord. *loc. cit.* ubi etiam, quod si pro parte absentium compareret aliquis, ac instaret expectari terminum juris, esset exaudiendus. Ita quoque non arctatur capitulum intra terminum illum nondum elapsum eligere vicarium; sed potest toto illo termino sibi ad id à Concilio concessio uti. Barbof. *loc. cit. n. 31. Ventrig. cit. n. 2.*

Quæstio 544. An, & ad quem fiat devolutio, Capitulo negligente intra dictum terminum constituere, aut constituente idoneum.

1. Resp. Fieri devolutionem ad Metropolitanam, & si Ecclesia ipsa (intellige vacans) fuerit Metropolitana, aut exempta, Capitulumque negligens (intellige in constituendo intra dictum tempus idoneo Vicario) tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in exempta & eorum (de quo quoque in eodem cap. habitus fuerat sermo) & Vicarium idoneos possit constituere. hæc fere verba sunt Tridentini. *sess. 24. c. 16. & juxta illa Barbof. jur. eccles. l. 1. c. 32. n. 55. & 56.*

2. Poterit nihilominus Capitulum, dum intra octo dies Vicarium non elegit, re adhuc integra, antequam Metropolitanus eum deputer, purgare moram, & eum eligere. Pax Jord. *cit. n. 6.* (qui tamen ibi dicit, utramque sententiam sibi videri probabilem) Garc. *p. 5. c. 7. n. 7. & ex eo Ventrigl. loc. cit. n. 4.* dicens hanc sententiam esse veriorum,

& verbis concilii conformiorem, utpote quod ista devolutione punit negligentiam capituli, quæ purgatâ morâ considerari non potest. & citat pro hac sententia Meroll. *tom. 3. d. 7. c. 7. dub. 26. n. 235.* contra Suarez. *tom. 5. d. 28. f. 3. n. 3.* apud Garc. *loc. cit.* quem is dicit docere, Capitulum debito tempore, & modo per Concilium præscripto non eligens Vicarium, privati propterea vice facultate eum eligendi, seu ab eo munere suspendi. non tamen addit, quod etiam purgata morâ priveretur eâ facultate. quin etiam Pignat. *tom. 8. consult. 34. à n. 13.* fusè probat, pluribus S. Congregat. responsis, mentem Concilii fuisse, inducere dictam devolutionem ad Metropolitanam in casu non factæ electionis Vicarii intra terminum octo dierum, non tamen, si in tempore facta fuit, sed nulliter, v.g. de non doctore, existentibus doctoribus; pro quo etiam adducit hanc rationem, quod concilium devolutionem illam statuit potissimum & principaliter ob negligentiam ingerendo actò, quæ non debeat extendi ad casum, quo actus quidem gestus fuit, sed nulliter; cum minus sit peccare in qualitate quam in substantia: & quia regulariter conceditur aliquid fieri per secundum actum, quando per primum non valuit, nec fuit satisfactum menti disponentis ex allegatis per Gabriel. *tit. de ll. concl. 2. n. 28. & 3. & Tiraquel. in l. Boves. §. hoc sermone. limit. 1. & 6.*

3. De cetero certum est, quòd si Vicarius constitutus à Metropolitanò moriatur, aut ab officio removeatur, contumacia Capituli censeatur purgata, & illud possit intra dies octo ab amotione, aut morte istius Vicarii eligere alium. si cut prius dispositio enim illa Concilii intelligenda pro una solum vice Pax Jord. *cit. n. 6.*

Quæstio 545. Terminò illo octo dierum pendente, an & qualiter Capitulum administret & exerceat jurisdictionem?

1. Resp. administratio jurisdictionis pro illo tempore non spectat ad primam dignitatem Barbof. *jur. eccles. l. 1. c. 32. n. 29.* testans sic expressè declarasse S. Congregat. Concil. 19. sept. 1620.

2. Neque spectat ad archidiaconum. Barbof. *loc. cit.* Pax Jord. *l. 12. tit. 2. n. 4.* citans Riccium, Quarant. & c. contra Vulpe *in pr. judic. for. eccles. c. 34. n. 19.* Navar. *in sum. Bullar. tit. capit. sed. vac. n. 16.* Sbroz. *de off. vicar. l. 1. q. 61.* apud Barbof. quamvis Sbroz. ibi plus non dicat quàm Archidiaconum sede vacante sustinere vices vicarii in iis, in quibus de jure communi est vicarius; & quòd in vacantia sedis Salernitanæ fuerint electi duo vicarii, nempe archidiaconus & unus ex Canonicis, licet postea gratiosè permillum Archidiacono illi exercere jurisdictionem, & eo impedito ab altero illo. quod non est contra nos, non enim negamus hic posse Archidiaconum à Capitulo eligi in Vicarium: sed illum de jure eo ipso, quòd sedes vacat, esse Vicarium Capituli, & loco illius exercere jurisdictionem, siquidem archidiaconus censetur Vicarius (intellige Episcopi) de jure in aliquibus tantam Episcopo vivente. Unde non bene infertur, totam jurisdictionem Episcopo defuncto vice capituli ad illum spectare. Pax Jord. *cit. n. 4.* Nihilominus Archidiacono non fecus, ac Archiepiscopo salva pro illo tempore vacantia manebunt jura sua propria illis incompetencia de jure communi tanquam

Vicarij

Vicariis natis, poteruntque illa exercere non secus tunc quam vivente Episcopo; cum non debeant esse deterioris conditionis sede vacante quam eam plenam. Pax Jord. *loc. cit. n. 5.*

3. Sed administratio jurisdictionis pro illo tempore residet penes totum Capitulum, potestque illud per seipsum eam exercere toto illo spatio, sicut antiquitus poterat pro toto tempore vacantia. Pax Jord. *n. 4.* Barbof. *cit. n. 29.* citans seipsum *de off. & potest. Epif. p. 3. allegat. 59. n. 163.* Rague. *de voce can. in capit. q. 37. n. 2.* Zerol. *in pr. p. 1. v. capit. §. 3. & c.* Addit tamen Barbof. *n. 31.* quod possit tunc administrare per se successive.

Questio 346. Num Capitulum sede vacante possit, & teneatur existentem Episcopi Vicarium generalem confirmare, seu potius assumere in suum Vicarium?

Resp. potest Capitulum, uti & Metropolitano in casu negligentia Capituli, Vicarium generalem Episcopi desuncti confirmare, seu constituere suum Vicarium, modo habeat qualitates à Tridentino in Vicario Capituli requisitas, ita ut si eas non habeat v. g. non esset Doctor, electio seu deputatio illius sit nulla. Pignat. *tom. 7. consult. 4. n. 9* juxta decif. S. Congreg. Non tamen tenetur illum constituere suum Vicarium. Sbroz. *de off. Vicar. l. 1. q. 60.* citatis plurimis contra Beronium *cons. 23. n. 7. volum. 1.*

Questio 347. An Capitulum possit duos simul deputare Vicarios?

Resp. Potest Capitulum constituere Vicarios plures (intellige æque principales, ut expressè Pirh.) quantum est de jure communi. Fagnan. *in c. his que de major & obed. n. 68.* Pirh. *ad tit. de off. vicar. n. 37.* præsertim ubi diæcesis est amplior, non enim in hoc minus potest, quam Episcopus. Pirh. *loc. cit.* is verò constituere potest plures Vicarios. Sbroz. *l. 1. q. 50. n. 3.*

2. Potest quoque hodie ad huc, ubi sic habet, & probatur consuetudo immemorialis, Capitulum constituere plures Vicarios, dummodo iis præditi sint qualitatibus, quas in tali Vicario requirit Tridentinum Fagn. *loc. cit.* Barbof. *n. 33.* Ventrigl. *Pirh. l. cit.* referentes sic expressè & sæpe declaratum à S. Congreg. Trid. puta, in una Terentina, de qua Fagn. & in altera Panormit. 31. Maij 1592. de qua Barbof. Atque ita in vim talis consuetudinis deputari possunt duo vicarii in solidum, vel ut alternis mensibus vicariatibus munere fungantur. ut S. Cong. in illa Panormit. Pirh. Barbof. veletiam ita, ut deputeretur unus pro urbe, alter pro reliqua diæcesi, seu foraneus, Ventrigl. Barbof. *l. cit.* vel unus generalis & alter pro Monialibus, ut Ventrigl. uti etiam testatur Pax Jord. *l. 12. tit. 12. n. 9.* Patriarcham Venerum habuisse Vicarium unum generalem, alterum pro Monialibus, & idem de Archiepiscopo Neapolitano Quaranta apud eundem Pax Jord. Atque ita Carol. de Luca *n. 12. ad Ventrigl. annot. 15. §. 2.* simpliciter ait, posse Capitulum sede vacante Vicarium Monialium constituere, ubi Episcopus vivus separatum pro iis deputabat. Quod si tamen consuetudo haberet ut electio, vel deputatio fieret de gremio Capituli, & bini, vel singuli per singulos menses administrarent observando ordinem, si Canonici omnes non essent Doctores, vel

Licentiarum, & haberi possent alii, qui essent Doctores, non valeret talis deputatio seu electio. Garc. *loc. cit. n. 10.* & ex eo Ventrigl. juxta expressam S. Congreg. declarationem, *ad cit. loc. Tridentini*, quam recitat Garcias.

3. Hodiedum tamen post Tridentinum independentè à tali consuetudine non potest Capitulum deputare, nisi unum Vicarium Capitularem. Pirh. Fagn. Ventrigl. Barbof. *l. cit.* Dian. *p. 8. tract. 4. resol. 61.* citantes Nozar. *in sum. Bullar. v. capit. sed. vac. n. 15.* qui etiam testetur, sic determinasse S. Cong. Concil. Loquitur enim Concilium *cit. sess. 24. c. 16.* in singulari, & injungit Capitulo, ut sede vacante deputeret eorum unum, vel plures, & eligat Officialem seu Vicarium. atque ita, ubi facit mentionem de electione Vicarii, non repetit illam distinctionem plures. Fagn. *loc. cit.* nihilominus plures, nullam fecit à mentione consuetudinis, adeoque etiam independentè ab hac Capitulum posse deputare vicarios simpliciter tenent Sbroz. *l. 1. q. 50. & 60. n. 3.* Garc. *p. 5. c. 7. n. 36.* citans Pavin. *p. 2. q. 10. n. 6.* Zechum. Auton. Genuens. & c. Item Molin. *de just. tract. 5. d. 11. n. 1.* apud Barbof. atque Garcias, sic videri sentire S. Cong. & Concilium loqui quidem in singulari; quia regulariter non solet poni nisi unus vicarius, non tamen tollere, quando plures esse possent Vicarii, & dispositionem loquentem de uno locum habere in pluribus, quando eadem est ratio in illis juxta gl. *in c. compromissarius. de elect. in 6. v. compromissarius.* Declarationem verò S. Congreg. (quæ in contrarium adducitur) loqui in casu, quando Capitulum volebat unum ponere, & in controversia fuerunt plures assumpti, quàm duo; eò quod non conveniat esse tot Vicarios, vel etiam quando unus habebat qualitates requisitas à Concilio, alii verò non.

Questio 348. Quid ergo circa hanc pluralitatem Vicariorum possint plura Capitula ecclesiarum sibi unitarum?

Resp. dum duo sunt Episcopatus uniti, & unusquisque suum habet Capitulum, & Cathedralium, unumquodque Capitulum potest suum Vicarium Capitularem deputare juxta formam concilii. Ventrigl. *loc. cit. n. 17.* citans Quarant. *in sum. Bullar. v. Capitulum. sed. vac. in append. fol. 523.* Pax Jord. *l. 12. tit. 2. n. 10.*

Questio 349. An Capitulum possit unum eundemque constituere Vicarium generalem tam in temporalibus quàm spiritualibus?

Respondet affirmativè Azor. *p. 2. l. 2. c. 37. q. 18.* citans clem. 1. & c. 2. de heretic. & Pavin. *p. 2. q. ult. Rebuff. in pr. tit. de devol. n. 62.* Verùm de hoc dubitari posset; cum præter Vicarium alium constitui disponat Tridentinum *cit. sess. 24. c. 16.* juxta quæ ait Barbof. *jur. eccl. l. 1. c. 46. n. 7.* sede Episcopali vacante est ab ipsius ecclesiæ Capitulo, vel eo negligente, à Metropolitano œconomus constituendus, œconomi autem officium sit, ut idem Barbof. *loc. cit. n. 8.* res omnes ecclesiæ fideliter administrare, & gubernare tanquam ecclesiæ patrimonium, & fructus ecclesiæ fideliter exigere, dispensare, augere & c. adeoque videatur ad illum spectare administratio in temporalibus, præsertim quò ad bona episcopalia, redditus & fructus.

Questio